



36d

37  
Ba

George Frederic  
de Boortel

+



37. 39  
PLUTARCHI CHÆ-  
RONENSIS  
ROMULUS,

Hoc est  
Vitæ Romuleæ Historico-Po-  
litico-Philologico penicillo adumbratæ  
SECTIO I.

*Quam*  
DEO GLORIOSO SOSPITANTE  
Consensu Amplifs. Facultatis  
Philosophicæ,  
*IN ELECTORALI VIADRINA*  
M. ADAMUS WALDOVIUS

&  
MARTINUS ROEBEL

Francofurtani,  
*Publica Eruditorum Censura submitunt*  
*In Auditorio Majori*

Ad diem Novemb. Anno 1652. Horis ab VIII.  
matutinis.


---

Ex Chalcographéo  
ERASMI RÖSNERI.









Σύνπαλάμα Θεῶ.

**A**uspiciaturis Nobis Vitas nonnul-  
 lorum in mortalibus famâ pariter incly-  
 torum atq; perennitate nominis, ex fon-  
 tibus atq; inde deductis rivulis, explanatas dare,  
 redibat in mentem *Xenophonteum* illud, quod  
 legeramus apud *Mart. Henric.* <sup>a</sup> ἔδεν ἔτως εὐ-  
 χρῆστον ἐν τῷ βίῳ, ὡς ἡ τάξις: <sup>b</sup> Quod *Scalig.*  
<sup>c</sup> Romano stilo sic παραφράζει: <sup>d</sup> Ordine ni-  
 bil vel in animo, vel in opere Sapiientis admirabi-  
 lius. Ordo namq; multa necit, ut ex multis fiat  
 unum: facilius verò unum, quàm multa tùm per-  
 cipimus, tùm animo retinemus. <sup>e</sup> Existimamus  
 proinde ἀτάκτως Nos esse haüt progressuros, si,  
 quæ memoratu digna æstimabuntur, certis  
 quibusdam membris coarctârimus, quorum  
 exhibebit *i.* cuiusvis Viri, quem hac in scenâ  
 præsentabimus, *Originem. ii. Educationem.*  
*iii. Gestorum Tabulam. iv. Virtutum coronam.*  
*v. Vitiorum Lacunam. vi. Vitæ exitum. vii. Ti-*  
*tulorum seu Elogiorum Cinnum.* Salvâ reliquo-  
 rum famâ, agmen ducat in præsentiarum Rex <sup>f</sup>  
 Parensq; Urbis Romanæ *Romulus.* <sup>f</sup>

<sup>a</sup> *Comment. in*  
<sup>i.</sup> *effic. Cicer. p.*  
<sup>107.</sup>  
<sup>b</sup> *Nihil sic utile*  
*in vitâ quàm*  
*ordo.*  
<sup>c</sup> *Exerc. 2. p. 7.*  
<sup>d</sup> *Explicationis*  
*eloquitur.*  
<sup>e</sup> *Vossius in oper.*  
*posthum. de Phi-*  
*lolog. c. 2. §.*  
<sup>14. p. 19.</sup>

<sup>f</sup> *Liv. lib. li*  
*dec. 1. p. m. 16.*  
<sup>B.</sup>

A 2

Mem-





Membrum I.  
ROMULI ORIGO.

1. Subobscura Romuli origo. 2. De quâ tres sunt Sententia. 3. Prima fabulosa Promathionis. 4. Secunda parùm constans. 5. Tertiâ probata. 6. Rumor Numitoris atq; Amulii. 7. Amulii sevitia in fratris prolem. 8. Vestalis impragnatur 9. earundem supplicium. 10. Partus gemellorum. 11. Patris horum vestigatio, qui Mars creditur. 12. Honor Martis apud Romanos. 13. Πίστεως de Patre Romuli.

[1.] **L**uculentiora, quàm sunt apud Scriptores, si haberemus de cunabulis Romuli; neq; tot ab Eruditis necerentur querelæ, neq; Natator quidam Delius in auxilium nobis deposceretur. Sequi placet ductum *Plutarchi*. Memorathic fœcundissimus Historicus, [2.] tres circumferri sententias de ortu Romuli, quarum Prima sit παντάπασι μυθώδης <sup>a</sup> Altera Autoribus quidem frequentata, sed ἀφεσηκῶν. <sup>b</sup> Tertia πίσω ἔχουσα, καὶ πλείους μάρτυρας <sup>c</sup> [3.] Prima, ne ordinis non simus tenaces, adceritur ex Italicâ Historiâ, de quâ aut parùm Nobis, aut nihil invidiosa sivit ætas superesse, *Promathionis*, quæ nobis adducta esset, nisi reclamavisset pudor, cui paruumus tantò libentiùs, quantò magis verebatur ἀδοξία <sup>d</sup> [4.] Secunda parùm sibi constans est. Sunt

<sup>a</sup> Prorsus fabulosa.

<sup>b</sup> in partes divulsa.

<sup>c</sup> Fide munita atque plurimis testibus.

<sup>d</sup> Infamiam.



Sunt enim, qui Romulum arbitrentur Æneæ filium ex Dexitheâ Phorbantis filiâ, quem, tenerâ adhuc ætate, cum fratre Remo in Italiam fataliter per mare projectum rumor sparserit, eamq; fratrum bigam unâ navi ad ripam actâ, cæteris, quæ simul procucurrerant, sorptis, salvam evasisse. Alii tradunt (quis non videt, ἐπίπραγμασιν ἔτως παλαιοῖς πλανᾶσθαι τὴν ἰστορίαν? ut loquitur *Plutarch. f*) prognatum ex Româ, quæ filia erat cujusdâ notæ (quod urget ἐπιδεικτικὴ particula ἐκείνης) feminæ Trojanæ, cujus torum occupaverat Latinus Telemachi Filius. [5.] Sed obscura hæc cum sint, neq; prodita aliis fide dignis Annalium Conditoribus, ex quorum collatione certi quid posset erui, delabimur ad tertiam sententiam, plerisque iisque gravissimis Autoribus probatam. *Res ita habet*: [6.] Erant multi in ore Hominum circa initium præter propter æræ Olympiæ, in 2. Dynastiâ Aboriginum, quæ Latinorum vocabatur, *Numitor* atq; *Amulius*, Procâsati, quorum stirpis minimus, nempe *Amulius* contra voluntatem Parentis, postpositâ quoq; ætatis verecundiâ

*e In verbis tam  
priscis sagari  
Historiam.  
f In Theseo p.  
m. 13. B.*

(- - - quò non mortalia cogis  
Pectora sacra fames regnandi?)

regnum delegatum *Numitori* eripit. Non leve scelus hoc erat, tolerabile tamen, nisi id a-



<sup>a</sup> In paral. p.  
314.

<sup>b</sup> lib. 7. Var.  
hist. c. 16.

<sup>c</sup> Plutarch. in  
Numa p. 67. A.

<sup>d</sup> Eminentes  
proceritate atq.  
pulcritudine.

<sup>e</sup> lib. 43. p. 336.

<sup>f</sup> in Romul. p.  
no. 22.

lio scelere cumalasset. [7.] Restabat, postea-  
quam *Numitoris* stirpem virilem (*Ænitum* vo-  
cat *Plutarch.* <sup>a</sup>) sustulerat, ejusdem filia, cui  
nomen *Iliæ*, aliis *Rbeæ*, quibusdam *Silvia* (apud  
*Ælian.* <sup>b</sup> est *Σεβία*, parum emendatè) Hanc,  
ratus, si futuro ser varetur connubio, parituram,  
qui injurias a vitas ulcisceretur, *Amulius* specio-  
lo honoris prætextu perpetuæ Virginitati man-  
cipavit, legendo eandem *Vestalem*. [8.] Sed  
ecce! præter spem uterum gerit nova *Vestalis*.  
[9.] Immane supplicium in tales severitas Ro-  
manorum decreverat. Vivæ nempe subter-  
ram defodiebantur, <sup>c</sup> quod haud dubiè exper-  
ta fuisset nostra, non naçta *Mediatricem Amulii*  
filiam *Antho*. [10.] Appropinquante partus  
horâ, deponit *Vestalis* lua pignora, videlicet  
gemellos *ὑπερφουῆς μεγέθῃ καὶ καλλῷ* <sup>d</sup> quo-  
rum nomina, alteri *Remo*, alteri *Romulo* fu-  
ere, genitrice à partu in carcerem compactâ, ut  
refert *Justinus*. <sup>e</sup> Habes hic *Matrem*, sed *Pa-*  
*ter* quis? [11.] *Sextus Aurel. Victor* citat *M.*  
*Octavium*, & *Licinium Macrum*, memoriæ  
prodentes, ipsum *Amulium* cæco impetu abre-  
ptum consvêsse cum *Rbeâ*. At enim verò *Fa-*  
*bius Pictor* & *Vonnonius*, *Diocles Peparethius*  
(quem *Plutarch* primum putat de Româ con-  
ditâ aliquid prodidisse) aliique consignavêre,  
*Vesta-*



*Vestalē* pro more egressam in usum sacrorum  
 aquam petiit ex fonte, qui erat in luco *Martis*,  
 ibiq; à Marte compressam esse, quibus, præ-  
 terquā quod puerpera ipsa hoc sponte facta est,  
 multi Clarissimi Historicorum videntur acce-  
 dere, nominatim *Plutarch<sup>a</sup>* ex *Aristide Milesio*,  
*Livius<sup>b</sup>* *Aurel. Victor<sup>c</sup>* *Florus<sup>d</sup>* *Messala Corvi-*  
*nus<sup>e</sup>* *Eutropius<sup>f</sup>* *Iornandes<sup>g</sup>* [12] Hanc ob cau-  
 sam tanto honore maectasse quondam Roma-  
 nos accepimus *Martem*, cujus effigie, quæ præ-  
 sentabat ipsum ardentem modò in curru, mo-  
 dò in equo hastâ armatum flagelloque, num-  
 mos publicos signare haut quicquam dubita-  
 vère. Vid *Dempster<sup>h</sup>* [13.] Sed cum partim id  
 quoq; διαπορηλικῶς afferatur, partim Scripto-  
 rum non pauci, hac προεπιπλήξῃ, ut ferunt  
 s. ut dicitur, utantur, nemo nos objurgabit, si Pa-  
 rentem cum *Auson.* incertum pronunciemus,  
 memo res appositè, quod alicubi scriptitat *Scal.*  
*Maximorum Virorum plerosq; Patres ignoratos;*  
 & ipse *Plutarch<sup>k</sup>* qui ait: *Romulum σκολίω γε-*  
*ρόμενον δόξαν ἔχειν ἐκ Θεῶν γεγονέναι.*<sup>l</sup>

<sup>a</sup> In parat. p.

314.

<sup>b</sup> lib. 1. dec. 1.

<sup>c</sup> de origine  
gent. Rom.

<sup>d</sup> lib. 1. c. 1.

<sup>e</sup> lib. de pro gen.

*August.*

<sup>f</sup> lib. 1. Hist.

Rom.

<sup>g</sup> lib. de regn.

& temporum

success.

<sup>h</sup> lib. 2. Anti-

quit. Roman.

c. 10.

<sup>i</sup> epigt. 25.

<sup>k</sup> in Thesoro

p. 1. C.

<sup>l</sup> obscuro or-

tum visum es-

se ex Deo pro-

generatum.

## Membr. II.

## EDUCATIO.

1. Educationis antecedentia, ubi notatur astus Ann-
- lii.
2. Expositio Infantum quando cœpta.
3. Diversa Exposititiorum sors.
4. Temeritas exponendi à Thebanis exercita.
5. Educationis περιπαλική in Infantiâ.
6. Nutrix



*trix Remi ac Romuli Lupa. 7. De Inesoleg'ois, quibus robo-*  
*ratur Dei providentia. 8. Judicium de illâ nutrice. 9. Pro-*  
*batio gemina, quod Laurentia Uxor Faustuli lactarit gemel-*  
*los. 10. Educationis circumstantia in adolescentiâ, ubi de curâ*  
*Numitoris circa Nepotes. 12. commendatio Scholarum. 13.*  
*Educations consequentia, quibus detegebatur animus Ro-*  
*mulii. 14. Judicium Plutarchianum de fortitudine gemel-*  
*lorum. 15. Speciatim de Romuli scientiâ politicâ. 16. En-*  
*comium ejus scientie. 17. Quædam magnanimitatis Romu-*  
*lee οὐκ ἀσπατα. 18. Deditus fuit venatui, de quo notatur*  
*judicium Pollucis & Tullii. 19. Qui apud Persas in magno*  
*usu. 20. Fama Romuli cœpta splendescere. 21. Impetus ejus*  
*in Latrones.*

(1.) **C**irca hanc notanda tria: I. προῦπηρυμέ  
*va Romulus simul ac in auras prodierat,*  
*obstitit suspicax Amulii ingenium, ne focillare-*  
*tur in gremio Matris. Paraverat accommoda*  
*Nato alimenta Natura, sed tantum abfuit ut*  
*frueretur, quin potius instinctu Regis cum fra-*  
*tre exponebatur ministerio cujusdam, qui cir-*  
*câ erat. (2.) Neq; ante trimestre tûm con-*  
*svetudo partuum exponendorum invaluerat,*  
*sed multis retrò seculis vestigia in Hebræâ pa-*  
*riter atq; Græcâ gente erant animadversa. De*  
*magno Legislatore Hebræorum Moyle testa-*  
*tur Historia Sacra, nec minus profana de Oedi-*  
*po. Vid. Diod. Sicul. <sup>a</sup> Senecam, <sup>b</sup> De Habide*  
*Gargoris, qui erat Curetum Rex, nepote idem*  
*passo*

*<sup>a</sup> lib. 5. c. 6.*  
*<sup>b</sup> in Oedipo.*



passo prolixè narrat *Justinus*.<sup>a</sup> (3.) Eadem <sup>a lib. 44.</sup>  
præterea Expositiorum fors nõ erat omnium.  
Nonnulli projiciebantur *Neptuno*, quod *No-*  
*stro*, *Moyse*, *Habidi*, aliis obtigit; quidam *feris*  
*in solitudinibus*: trahendus huc *Canaces* filius ex  
fratre *Machareo*, quâ dere Mater impensè que-  
ritur apud *Nasonem*.<sup>b</sup> Alii damnabantur ad <sup>b epist. ii.</sup>  
loca fædè olentia, quod ævo nostro malè feria-  
tas ancillas factitare solere non semel comper-  
tum est. (4.) Rectissimè autem temeritas ea,  
quod subvertere videbatur τὸ Φιλάνθρωπον seu  
hominem exuere, lege apud Thebanos latâ,  
cohibita est. Conf. *Ælian*.<sup>c</sup> Idem factum *Va-*  
*lentiniano*, *Valente*, *Gratiano* Impp. <sup>c lib. 2. hist. var. 7.</sup> d II. Πε-  
*ρισάλινά* (5.) quorum alia i. in summâ ætatis <sup>d L. 2. Cod. de inf. expos.</sup>  
*teneritate*. Perisset tam celebratissimi nominis  
Autor Romanæ gentis, nisi prospexisset fatum;  
puerperâ semotâ, de nutrice. (6.) Sunt, qui  
hanc de grege brutorum sumant, & quod sine  
miratione haut legitur, quæ homini sunt horro-  
ri. Lupam enim, cui à recenti partu ubera tur-  
gebant, spretis catulis, non semel accucurrisse,  
sittientibusq; gemellis levandorum uberum gra-  
tiâ mammas præbuisse, tradunt memb. i. cita-  
ti, præter *Eutropium*, qui tacet, *Historici*, qui-  
bus ac censendus *Justinus* <sup>e lib. 38. c. 6. if. 44. 6. 4.</sup> ex *Plutarch*. *Aristid*.

B

Mile



<sup>a</sup> lib. 5. geogr. <sup>b</sup> H. N. lib. 8. c. 17.

*Milesius* in Italicis. *Strabo Amasian.* <sup>a</sup> *Plinius* <sup>b</sup> & plurimi ex Poëtis. Tot fultus testimoniis, quis refragaretur credere factum? cum primis, si juvetur memorabili casu *Habidis* ex *Justin.* dl. qui expositus vario ferarum lacte nutritus est, *canis* præcipuè, *suis* & *cervæ*, quem casum obsignat *Scriptor* sequentibus: *Hujus casus fabulosi viderentur, nisi* & *Romanorum Conditores* (puta *Remum* & *Romulum*) *lupâ nutriti, &*

<sup>c</sup> lib. 3. c. 4.

<sup>d</sup> *Var. Hist.* lib. 12. c. 41.

<sup>e</sup> *Cent. 3. Hor.* subseq. c. 57.

*Cyrus Rex Persarum* (de quo *Justinus* <sup>c</sup> & *Ælianus* <sup>d</sup>) *cane altus proderentur.* (7.) *Alias* *Ἰνπιό-τροφών* multa exempla acervavit *Camerarius* <sup>e</sup> quem adi. Nec desunt in sacris pandectis, quibus mirum in modum roboratur sapientissimè omnia dispensans cælestis illa *πρόνοια*, quam in nostro perpulcrè commendat *Plin. dl. arbitrase*, ajens, *quæ de infantibus ferarum lacte nutritis, cum essent expositi, prodantur, magnitudini fatorum æquius esse, quam ferarum natura accepta ferri.* Cui accinit *Constant: Manasse* qui

<sup>f</sup> *Hic dia providentia manifesta fuit Tua est (Deus) vis effica, manus Tua potentia.*

exclamat in *Chronicis: f*

*ἐν ταῦθα θεία πρόνοια κατὰ δὴ λῶ ἰσῆξεν, ἢ δεξιῆ σὺ δύναμις τὸ τῆς χειρὸς σὺ κερτῶ*

(8.) Verùm enim verò cum & *Plutarch.* & *Livius* gravitatis plenissimi Autores fabulam suspicentur subesse, largimur quidem, rem factu non impossibilem fuisse, sed *πιθανώτερος* existimari,



stimari, impudicam *Faustuli* subulci Regii *Laurentiam* has lactandi partes in se suscepisse (9.) Firmatur I. quia Latinis non animal duntaxat quadrupes, sed etiam femina ( prout *Phæa* ob ἀπολασίαν <sup>a</sup> Σῦς s. sus salutabatur, *Plutarch.* <sup>b</sup>) propter propudium ἐταιρήσεως <sup>c</sup> LUPA dicebatur *Plut.* <sup>d</sup> *Aurel. Vict.* <sup>e</sup> *Plaut.* <sup>f</sup> *Cicer.* <sup>g</sup> Unde *Lupanaria* *Tertull.* <sup>h</sup> consistoria libidinum publicarū dicta, ducta nemo infitiabitur. 2. Quia *Laurentalia* seu *Laurentialia* à Romanis ipsis instituta hujus rei non spernendum videntur ὠψίωμα ministrare. (10.) II. Alia in *etate pueritiam supergressâ*. Numitor clavo pulsus à fratre, non omnem projecit spem eundem recuperandi. Unde Nepotes, quos progenuerat Filia, arbitratus firmamenta domus, & lux elementa spei futuros, non legnis fuit, ut ad animi pariter atq; corporis cultum perducerentur. (11.) Erant tūm in flore *Gabii*, oppidum ab Urbe centum stadiis distans, annotante *Taubm.* i. h. e. milliaribus 3. cum dimidiato quadrante, ubi τὰ γράμματα, καὶ τὰλλα, ὅσα χεὶ τὸς εὔγεγονότας <sup>k</sup> ut loquitur *Plutarch.* perdidicere. (12) O nobilem Urbem, in quâ ejusmodi κειμήλιον positum est! ô felicem, qui ab ungviculis tale ingeniorum formatorium reperit, ex quo speret à se, cūm ingredere-

<sup>a</sup> Intemperantiam.

<sup>b</sup> In *Thesco* p. 4. E.

<sup>c</sup> Vita meretricia.

<sup>d</sup> in *Romul.*

<sup>e</sup> de orig. gent. Rom.

<sup>f</sup> *Epid. att.* 3. sc. 3.

<sup>g</sup> pro *Milon.*

<sup>h</sup> lib. 3. ad Uxorem.

<sup>i</sup> *Comment. in* 7. *Aeneid.* p. 798.

<sup>k</sup> literas & alia, quacunq; decent, benè natos.



tur, alium, pulcra atq; optabili metamorphosi remeaturum. (13.) Sequuntur III. τὰ ἐπόμενα. Imbutus, quibus videbatur opus, disciplinis *Romulus*, non potuit generosum animū diu occultare. Quemadmodum enim juvenis equus se prodit gestibus in aërem missus liberiolem; ita Noster, dum animo cœpit fidentiori versari inter mortales. (14.) De ambo- bus quidem honorificè *Plutarch.* ait: fuisse θυμοειδείς καὶ ἀνδρώδεις, καὶ φρονήματα πρὸς τὰ φαινόμενα δευὰ, καὶ τόλμην ὅλως ἀνέν- πληκλον ἔχοντας. <sup>a</sup> (15.) Ast *Romulum*, mox subjungit, Remo τῆ γνώμη καὶ συνέσει πο- λιτικῆ <sup>b</sup> longè antestetisse. Consilio opus ha- bebat, ut semetiplum regeret, ut alios, civili prudentiâ, quæ rerum agendarum prora pup- pisq; est. (16.) Et quo pacto crederetur fuisse par ponendo tam latè patentis imperii funda- mento, hac luce atque Duce Vitæ, ut *Marliano.* <sup>c</sup> ἐγκωμιασινῶς dicitur, destitutus? Sicut architectis opus nullum rectè procedit sine li- bellâ & lineâ, non item Nobis sinè normâ hac directrice Prudentiâ *Just. Lipsii* simile est. *Demosthenes* rogatus, quid in dicendo primum es- set, non verebatur pronunciationi deferre pri- mas

<sup>a</sup> Animosos & viriles, nec non prudentiâ adversus ingruentia formidabilia & audaciâ prorsus imperterritâ instructos.

<sup>b</sup> Consilio & scientiâ politicâ

<sup>c</sup> in *Theatr. polit.* c. 10. p. 196.



*mas, secundas, tertias.* Idem Nos de συνέσει  
 illa πολίτικῃ. In molimine magnarum re-  
 rum diffluit opera omnis, ac retroagitur, nisi  
 præfultricem habeas Prudentiam. (17.) Age  
 expandamus nunc nonnulla futuræ fortitudi-  
 nis atque magnanimitatis σκιασμάτα, quibus  
 sensim pertraxit *Romulus* Homines, qui aut  
 circa erant, aut de nomine ejus ex famâ Inter-  
 prete cognoscebant, ad sui adorationem. O-  
 perabatur (18.) potissimum κυνηγία seu Vena-  
 tui, de quo, audiatur, quid *Julius Pollux* a ju-  
 dicet: *Heroicum, ait, & regium studium venatus*  
*est, καὶ πρὸς εὐσωμασίαν ἅμα, καὶ εὐψυχί-*  
*αν ἀσκεῖ, καὶ ἐς εἰρηνικῆς τε καὶ καρτερίας ἀ-*  
*μα, καὶ πολεμικῆς τόλμης μελέτημα πρὸς*  
*ἀνδρείαν φέρον, ῥωμαλέον τε εἶναι γυμνάζει, ἢ*  
*ποδῶκον, καὶ ἵππιπὸν, καὶ ἀγχίνον, καὶ Φι-*  
*λεργόν.* *b* *Tullius* c non malè: *exercemur, ait*  
*in venando ad similitudinem bellicæ disciplinae.*  
 (19.) Quod adeò receptæ erat consuetudinis a-  
 pud Persas, ut Rex arbitratus id studii, loquente  
*Xenophonte* d ἀληθεσάτην μελέτην τῶν πρὸς  
 τὸν πόλεμον e esse, cum subditis publicæ vena-  
 tionis non semel vacârit. His distento occupa-  
 tionibus Romulo surgebat πολλὴ κατανόησις  
 ἐαυτῷ ἡγεμονικῷ μᾶλλον, ἢ πειθαρχικῷ φύσει

a In præfat.  
 lib. 5. Onomast.  
 ad Com. Caesar.

b Et ad corporis  
 animiq. bonam  
 valetudinem seu  
 constitutionem  
 facit, Et est pa-  
 catis roboris pa-  
 riter atq. mili-  
 taris audaciæ  
 exercitium ad  
 virilitatem con-  
 ducens, exerci-  
 tatione reddit  
 robustum Et pe-  
 dibus celerem Et  
 equestrem Et la-  
 boris amantiem.

c lib. 2. de Na-  
 tur. Deorum  
 p. 166.

d lib. 1. Cyrop.

e Verissimam e-  
 xercitationem  
 eorum quæ ad  
 bellum spectant.

B 3

γεγο-





*a Multa opinio  
sui, qui potius  
factus esset na-  
surâ ad impe-  
randum quàm  
parendum.*

γεγονότ &c. Unde Regios quoq; pecoris Ma-  
gistros virtute se ne quaquã superiores animosè  
contemnebat, ad minas irásq; eorum, quàm  
ad fluctus Adriæ faxetum, acrior. (20.) Præ-  
terea ad veteris sic trucidandis feris, cum Latro-  
nes vexarent vicinos, quò splendor nominis  
diffunderetur ampliùs, necessarium juxta at-  
que utile judicavit, ut opitularetur injuriâ pres-  
sis. (21.) Quod tantâ fecit felicitate, ut, hu-  
miliatis Latronibus, non in vado tantùm suo-  
rum posuerit resculas, sed inter Pastores quoq;  
animorum conciliandorum gratiâ, rapta par-  
titus fuerit. *Tantum de Educatione.*

### Membrum III.

## GESTORUM TABULA.

1. opera Romuli quedam Togata, alia Sagata. 2. Te-  
xodoiia seu Nova Urbis exedificatio. 3. occasio ejus rei.
4. Notatur Urbis locus. 5. Natâlis de quo magna inter  
Autores discrepantia. 6. Recentiorum opinio. 7. Nomen
8. Philologica notatio ad versus Ennianos. 9. Certamen ge-  
mellorum. 10. Committitur res augurio. 11. Conciliatio  
contraria sententiæ. 12. urbis forma. 13. Initia Romæ te-  
nuia. 14. Quid Pomærium. 15. Regum vigil cura pro am-  
pliatione urbis. 16. Asyli aperitio. 17. Causa ejus impulsiva,  
& finalis. 18. Quis primus Asylorum autor. 19. Qui-  
bus nam patebat aditus ad asyla. 20. Romulus utrum in eo  
laudandus 21. affirmatur 22. dilutio objectorum 23. abu-  
sus asylorum à Tiberio sublatus. 24. usus & abusus in quo  
confi-



consistat. 25. Modus Imperia augendi à Romulo ostensus.  
26. Quem abhorruit Lycurgus. 27. Malè verò 28. quod  
monstratur ex commodis.

(1.) **P**ATRATA Nostro immortalia opera,  
quemadmodum magnificè Livio a di-  
cuntur, quò proponantur distinctiùs, videntur  
esse duùm generum: SAGATA partim, par-  
tim TOGATA. Ad TOGATA rejicitur I.  
*τεροδομία*. (2.) Seu *Novæ Urbis* (præ quâ *Alba*  
& *Latinium* parvâ tum putabantur apparitura  
*Liv. b*) *molitio*. (3.) Ad terram nempe dato  
*Amulio* restituebantur, Nepotum ope, pristi-  
na *Numitori* sceptrâ, & cum *ἡγεμονίας* pruritu  
stimularetur *Romulus*, maluit proprium domi-  
nium exercere, quàm subesse alieno. Unde Al-  
banarum habenis rerum *Avô Numitori* permis-  
sis, ipse cum Fratre capitur desiderio novæ Ur-  
bis excitandæ. Cujus juvabit observitavisse I.  
LOCUM (4.) Nullus magis in deliciis fuit,  
quàm ubi erant expositi, ubi educati, ut nullo  
ævo delendum sortis ipsorum prostaret vestigi-  
um, quæ *Causa Plutarcho* videtur *εὐπρεπες δέ-  
τη. c* 2. NATALEM (5.) Hunc circâ mi-  
ra deprehenditur Scriptorum discrepantia, de  
quâ vid. *Forster. d* ut, si vota rata essent evasura,  
nobis nequaquam molestum foret votis ali-  
quem

a *lib. 1. dec. 9.*  
p. 16.

b *lib. 1. dec. 7.*  
p. 7.

c *Speciosissima*

d *De Jurisd.*  
*Rom. c. 1. n. 4.*  
p. 34.



quem *Scaligerum* aut *Petavium* evocare, qui eundem rulparetur. A recentioribus (6.) Temporum Vestigatoribus probatur sententia *M. Portii Catonis*, *Diodori Siculi*, *Dionys. Halycar. Livii* aliorumq; ponentium annum 1. Olymp. 7. qui erat annus 2. *Numitoris* post scepra recuperata, Mundi Conditi 3198. ante C. N. 750.

3. NOMEN (7.) *Tullius*<sup>a</sup> producit versus *Ennianos*, quos inter :

a 1. de Divinat.

*Certabant urbem Romam Remoramne vocarent,  
omnibus cura Viris, uter esset induperator.*

Ex quibus (si tanquam ὁδὸς ἀπέργου adduxerimus (8.) pro *Romam Remoramne Victorium* ponere *Romam Remamne*, quod *Aldus Nepos* cernens contra mensuram esse, correxit, adjungendo utriq; particulam encliticam *Ne*: & pro *Remoramne* scribendo *Remamne*. At *Lambinus* unâ omisâ, scribit, *Romam Remuramne*. De inde quamvis alter versus defendi possit per *ecthlypsin*, cujus beneficio *Veteres*, cum primis *Ennius* & *Lucretius*, S. tam sequente vocali quàm consonâ elisère, judicat tamen nonnemo, legendum potius esse *omnis cura*, cum credibile haut sit, de duobus, quorum tantum fit mentio, ennucciasse *Ennium* vocem *Omnibus*) elucescit (9.) par fratrum mansuræ avidum post mor-



mortem gloriæ, ab utro condenda urbs nun-  
cuparetur, gubernareturque, certavisse. (10.)  
Commiffa tandem utriusq; confensu (ne citra  
favorem Numinis viderentur negotium lufce-  
piffe) auspicio re seft. Capessivit *Romulus* fe in  
montem *Palatinum*, *Remus* in *Aventinum* præ-  
ftolaturi, quid cælum utriq; promitteret. Ec-  
ce Remo occurfavêre sex Vultures (de quo ge-  
nere avium refert *Plutarch.* <sup>a</sup> quod fit ἀπὸ  
των ζώων ἀβλαβέστατον. Rationes hujus rei  
vid. apud eundem. <sup>b</sup>) *Romulo* ter quatuor, quo  
fretus vulturum numero *Romulus* Urbi nomen  
*Roma*, pendentibusq; à nutu fuo *Romanorum*  
indidit, quod tot inde feculis illibatum, totque  
fub Sole Nationibus verendum extitit. (11.)  
Neq; contravenit, quod traxiffe quidam pu-  
tant à roboris magnitudine, à quâ etiam *Valen-*  
*tia* quondam nuncupabatur. Utriusq; enim  
rationem *Romulum* habere potuiffe, quis eft, qui  
crediderit δύο πεισόν? <sup>c</sup> Quemadmodum *Ale-*  
*xandria* & ab *Alexandro* M. Latrone, gentium-  
que *Vastatore* (ceuvocatur à parùm æquo æfti-  
matore *Senec.* <sup>d</sup>) & ab animofitate propulfan-  
di Viros non imperitè existimatur dici; ita  
non minus *Roma*. 4. FORMA (12.) Ut alia  
animalis facies eft in Infantiâ, alia in pueritiâ;  
alia,

<sup>a</sup> In *Romul.*  
p. 13.

<sup>b</sup> in *quæft. Ro-*  
*man.* p. 285. B.

<sup>c</sup> *per se afu dif-*  
*ficile.*

<sup>d</sup> 1. de *benef.*  
c. 13.

C

alia,



alia, cum ad ætatis ἀγμὴν processerit, haut se-  
cus comparatæ sunt Urbes, speciatim eæ quæ  
sicritu ἐξοχῆς dicebantur, ut ἄστυ in agro Attico

a Plut. in Thest.  
p. 11. A. Cornel.  
Nepos in The-  
mistocl. c. 4. &  
Alcibiad. 4.

Athena, & πόλις in Ægyptiaco, Alexandria.

Quis credidisset, cum jacerentur fundamenta,  
processu temporis in tantam amplitudinem  
Urbem excreturam? Perpende tenuia initia.

(13.) Romulus eo, quem diximus, monte, in quo  
contigerat augurium, designavit Urbem Κρα-  
δάτην (quam vocem adhibet Plutarch. ex La-  
tio, quemadmodum aliàs non pauca origine  
Latina in græcam civitatem sunt recepta, qua-  
lia: κεντρίων, κῆνος, κρωδία, λιβερίων, &  
πρωϊώριον, σπενδλάτωρ, alia) seu, quod ma-  
gis græcè, τετραγώνον, eamq; clausit pomerio  
(Plutarch. scribit πωμήριον,) hoc est, spectatâ

b decad. 1. lib.  
2. p. 42.

vi vocis, postmænio, (14.) quod Livio b tamen  
magis est Circamærium, Locus nempe, quem in  
condendis urbibus Hetruscî quondam, quâ  
murum ducturi erant, certis circa terminis in-  
auguratò consecrabant, ut neque interiori par-  
te ædificia mœnibus continuarentur, & extrin-  
secus puri aliquid ab humano cultu pateret soli.  
Hæc initia Urbis Romæ (15.) pro cuius capaci-  
tate neminem non Regum ex successoribus ac-  
cepimus laboravisse, donec Palatino cæteris  
mon.



montibus *Capitolino* (aliàs *Tarpejo & Saturnio*)  
*Quirinali* (ante *Agon & post Caballus* dicto) *Cæ-*  
*lio* (olim, *Tacit* : teste, *Querquetulanus* audie-  
 bat) *Esquilino, Viminali, Aventino* adjectis, *RO-*  
*MA* tandem *SEPTICOLLIS* Orbi sisteretur,  
 in cuius elogiis concinnandis omnis mortali-  
 um cura penè fatigata est. II. *Ασυλάνοιξις*  
 (16.) seu *strategematica Asylireferatio*. Loca-  
 tis Urbis fundamentis, *Romulus* (17.) cùm ani-  
 mo præconcepisset futuram ejusdem magni-  
 tudinem, singulari quodam machinamento  
 (quod *Clapm.* <sup>a</sup> ad jura dominationis regiae re-  
 ducitur) pro locupletando Imperio uti haut  
 quaquam verecundabatur. Cùm enim coràm  
 cerneret crescere Urbem munitiōibus, dum,  
 qui Imperio substabant suo, alia atq; alia appe-  
 tendo loca, in spem magis futurae multitudi-  
 nis, quàm ad id, quod tùm hominum erat, muni-  
 rent, ceu loquitur *Livius* <sup>b</sup> ne capacitas muni-  
 mentorum relinqueretur vacua, *ASYLUM*  
 aperuit, hoc est *templum* quoddam *Misericordiae*  
 seu *Libertatis*, vel, ut *Plutarch.* habet *ιερόν Φύ-*  
*ξιμον τοῖς ἀφισαμένοις, ὃ θεῶν Ασυλαίς προ-*  
*σηγόρευον* c quo tanquam convenientissimo il-  
 licio non paucos τῶν περιουκέντων d invitaverat  
 ex quibus deinceps cum suis unitis qs. variis  
 C 2 ex ele.

<sup>a</sup> lib. 1. de Arc.  
 Rerum p. 6, 5.

<sup>b</sup> de c. 1. lib. 10  
 pag. 8.

<sup>c</sup> Templum, ad  
 quod disceden-  
 tibus fugere li-  
 cet, quod Deū  
 Asylai voca-  
 bant.

<sup>d</sup> Circumcola-  
 tum.



ex elementis sat grande corpus coagulatum est. (18.) Neque primus excogitavit *Romulus* hunc modum amplificandarum civitatum, sed reperto à priscis prudentissimè utebatur, unde VETUS CONSILIUM URBES CONDENTIUM dicitur *Livio* dl. Aliàs Historica lampas *Cadmum* ostendit omnium primum *Thebis* in græcâ gente, & post eum *Thesea Athenis* excitavisse aram *Misericordiae*, conf. *Arnis.* a quæ vocata est Græcis *ἑλεος ἐλεος* (in *Arnis.* est *ἑλεος ἐλεος*, utraq; voce perperam excusâ) Stat: b per fugium agris animantibus, *Plutarch.* c *Φύξιον* (iubint. *γυμνάσιον*) οἰκίας ταπεινότητος, καὶ δεδιόσι κρείττονας d *Nasoni* e portus *ἑραφύγæ*. (19.) Patebat autem ad talismodi Asyla triplici cum primis Hominum generi aditus, videlicet *Servorum, Obaratorum & Facinorosorum*, ut præter *Plutarch.* f *August.* *Tacitus* g prodidit: complebantur, ait, templapesimis *servitiorum*, eodem subsidio obarati adversum *Creditores*, suspectiq; capitalium criminum receptabantur. Conf. *Sagacissimum Antiquitat.* *Vindicem l. Lipsium* h (20.) Quæstio hic subnascitur de qualitate actus illius *Romulei*, laudabilis fuerit, an secus? Non deerunt, ut conjicimus, *Romulo-Mastiges*, infame & factum & Aly-

a lib. 1. Relect. polit. c. 3. scilicet. 1. n. 50.

b 11. Thebaid. c in Thef. p. 17. c.

d ad quod fuga patet servis humilioribus, potentioresq; timentibus.

e lib. 2. de Pontico eleg. 8.

f in Romul. p. 2. D.

g 3. Annal. 6. 60.

h ad dict. locum Tacit.



Asylum ipsum citaturi. Quid enim *Asyla* aperire aliud, quàm portas pandere scelestissimis facinoribus? & *Asylum* quid nisi arx & refugium parùm decentis pariter atq; injustæ impunitatis, & juxta *August.* facinorosorum domus? (21.) At enim verò perpendere ipsam, & ἀνεπίληπτον Romulum facile pronunciabis. (12.) Condiderat iste Rex Urbem, cui deesse animadvertibat incolas, non vanè colligens, ruituram, & circumcolis, qui hostili erga se suosque animo videbantur esse, prædæ cessuram, nisi augmento alicunde sumto roboraretur. Retrospectans ergò ad facta Majorum, maluit recens coeptam à se Urbem civibus, ut ut peregrinis & parùm nitidæ existimationis (tametsi negamus hoc de omnibus, qui accurrerant) locupletare, sibiq; eos omnibus humanitatis officiis devincire, quàm se suumq; populum pessundari, memor haut dubiè decantatissimi illius inter Politicos axiomatis: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO. Deinde tantùm abest, ut *Romulus* portas laxaverit criminibus: admisit enim Hospites, non, ut flagitiosa licentiâ in regno grassarentur suo, sed ut servati à Persecutoribus, honestisq; legibus coërciti ad societatem civilem compellerentur. Tertio:



a *Annal. 3.*  
c. 60.

conducet equidem, improbato abusu, usum rei  
magnifacere. Non imus infitias crebuisse gra-  
cas per Urbes licentiam atq; impunitatem Asyla  
statuendi, neq; ullum satis validum imperium fuis-  
se coërcendis seditiõibus populi, flagitia Hominum,  
ut ceremonias Deum protegentis Tacitus <sup>a</sup> (23.)  
At verò Imperat. Tiberius tantum abusus dede-  
cus cernens patribus negotium dedit, Majorum  
beneficia, sociorum pacta, Regum etiam qui ante  
viam Romanam valuerant, decreta, ipsorumque  
Numinum religiones introspectendi, qui factis  
Sctis, quibus multo tamen cum honore mo-  
dus præscribatur, jussere ipsis in templis figere  
ara sacrandam ad memoriam, ne specie religionis  
in Ambitionem delaberentur, Tacit. dl. (24.)  
Ufus autem quemadmodum consistit in ad-  
missione hominum ἀνευ τῶν ποινῶν εἰσεως <sup>b</sup> delin-  
quentium, quod & sacra pagina urget; ita ab-  
usus committitur, si receptentur patrantes pro-  
tervè quidlibet, quos non tantum petivisse A-  
syla non juvat, sed & securè inde rapti suppli-  
ciis, quæ meruere, subduntur. (25.) Mon-  
stravit proinde Romulus hac peregrinorum in-  
vitatione Rerump. Sanctioribus Viam, non,  
si cautè calcerur, spernendam Imperia augendi  
firmandique robustioribus præsiidiis, à quâ (26.)

b sine præele-  
ctione,

ab



abhorruisse novimus Lycurgum τὰς ἀθροισ-  
 μένας καὶ παρεισρέοντας εἰς τὴν πόλιν ἀπε-  
 λαύνοντα <sup>a</sup> Plutarch. <sup>b</sup> motum cum primis eā  
 ratione ὅπως μὴ διδάσκαλοι καὶ ἄλλοι ὅ-  
 παρξωσι (26.) q̄s: non essent, quibus huic  
 malo praeveniretur, aut aliis bonis pensaretur. <sup>c</sup>  
 Singulos enim confluentium malè moratos ef-  
 se, aut benè formati civibus rubiginem suam  
 actutum affriicturos, quis est qui dixerit? De-  
 inde (28.) pensiculato commoda. Sæpè incul-  
 tos civium mores emolliunt extranei, Remp.  
 itu ac reditu ditiores, conversatione cives pru-  
 dentiores, multitudine valentiores reddunt, ut  
 & durable imperium & hostibus terrori eva-  
 dat: unde illud in *Sapientia sacrâ*: <sup>d</sup> *Ex mul-* <sup>d</sup> *Prov. 14*  
*titudine populi apparet magnitudo Regis, & ex*  
*Inopia Infirmitas populi. TANTUM.*

Θεῶ μεγαλοσύνη.

TE Latio Romaque sua donavit amicus  
 Phœbus, dos animi nulla virilis abest  
 Ergo vides qui sis & quo dignetur honore  
 historiae celebris Te monumenta Deæ,

Picri



Pieridum Zæbi Decus & flos auree Phæbi,  
Magnificæ Themidis post quoque miles ova  
Ecce Tibi spondent studiorum præmia sortes  
Hic Tuus in Musas ne sit inanis amor.

*Pauillis hūc versiculis suum in Dn. Respon-  
dentem Amicum & Consalinum dilectissimum  
amorem testatur*

Adamus Georgius à Schlieben.

**P**rovocat in laudem tua me notissima virtus  
Zæbeni, patriæ pulcher ocellæ tuæ.  
Tempora nam longo spectare volumine rerum  
Historicâ nimis est grandis in arte labor.  
Tu studio scandis summas Heliconis ad Artes  
Qua mihi dicendus laude vel elogio  
Magnum juris opus studiis melioribus intras.  
Magnus te, Zæbi, crede sequetur honor.  
Nunc equidem clare, cum sis bonus Histor & Orbis  
Cunas, & senium canitiemq; vides.  
Unus dum victus, dum conversatio grata est.  
Summâ culte mihi semper amicitia.

*Doctissimo juxtaq; politissimo Dn. Respondenti,  
honoris & amicitia ergo adjiciebat*

*Maximilianus de Schlieben/  
Nob. March.*






















00 A 6456

ULB Halle

3

002 929 244




R


Worm











B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Farbkarte #13

Centimetres

<sup>37.</sup> CHI CHÆ- 39  
ENSIS

ULUS,

oc est  
e Historico-Po-  
penicillo adumbratæ  
TIO I.

*nam,*  
O SOSPITANTE  
plis. Facultatis  
sophicæ,  
ALI VIADRINA

WALDOVIUS

&  
S R O E B E I

ofurtani,  
*m Censura submittunt*  
*torio Majori*  
Anno 1652. Horis ab VIII.  
utinis.



cographéo  
RÖSNERI;

